

## Q. SEPTIMI FLOREN

T I S T E R T V L L I A N I , A D  
V E R S V S M A R C I O N E M  
L I B E R Q V A R T V S .



MNEM sententiam, & omnem paraturam impij atq; sacrilegi Marcionis, ad ipsam iam euangelium eius prouocamus, quod interpolando suum fecit. Et ut fidem instrueret, dotem quandam cōmentatus est illi, opus ex contrarietatum oppositionibus, Antithesis cognominatū, & ad separationem legis & euangelij coactum: quod duos deos diuidens, proinde diuersos, alterum alterius instrumenti, uel (quod magis usui est dicere) testamenti, ut exinde euangelio quoq; secundum Antitheseis credendo patrocigaretur. Sed & istas proprio congressu cominus, id est per singulas iniectioes Pontici cecidissim, si non multo oportunius in ipso, & cum ipso euangelio, cui procurant, retunderentur: quanq; tam facile est præscriptiue occurrere. Equidem ut accepto eas faciam ut rato habeam, ut nobiscū facere dicā, quo magis de cecitate autoris sui erubescant, nostræ iam Antitheses aduersus Marcionem. Atq; adeo confiteor alium ordinem decurrisse in ueteri dispositione apud creatorem, alium in nouo apud CHRISTVM. Nōne ergo distare documenta eloquij, præcepta uirtutis, legis disciplinas, dum tamen tota diuersitas in unum & eundem deum competat, illum scilicet à quo constat eam dispositam sicut & prædicatam. Olim concionatur Esaias prodituram ex Sion legem, & sermonem domini ex Hierusalem, aliam utiq; legem, aliumq; sermonem: deniq; iudicabit, inquit, inter nationes, & traducet populum plurimū, scilicet nō unius gentis Iudæorū, sed nationum quæ per nouam legem euangelij, & nouum sermonem Apostolorū iudicantur & traducuntur apud semetipsas de pristino errore, simul crediderunt: atque exinde concidunt machæras suas in aratra, & sibinas, quod genus uenabulorum est, in falces, id est feros & sæuos quondam animos conuertunt in sensus probos, & bonæ frugis operarios. Et rursus: Audite me audite me, & populus meus & reges auribus intēdite in me, quoniā lex prodibit à me, & iudicium meum in lucem nationum, quo iudicauerat atq; decreuerat nationes quoq; illuminandas per euangelij legem atq; sermonem. Hæc erit lex, & apud David inuituperabilis, quâ perfectâ, conuertens animā, utiq; ab idolis ad deum, hic erit & sermo, de quo idem Esaias: Quomodo, inquit, decisum sermonē faciet dominus in terra. Compendia-

*Antitheses Marcionis.*

t 2 tum est